



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 84. Mendoza Orator Synodum Tridentum revocari postulans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

quos, ut ita scribant, tum officii sui ratio, Sæcul. XVI.
 tum temporum conditio impellit. A.C. 1547.

Verum eorum precibus, ac vehementibus monitis Papa minime flectabatur, ac etiam Cardinalis Madrutius amplius ab eo impetrare desperans Augustam reversus est, suaque mandata reliquit Mendozæ Legato, quem Carolus V. Senis, ubi huius Reipublicæ diffidia compositurus hærebat, excedere, moxque Romam contendere iussit, quod ipse etiam protinus effectui dedit.

§. LXXXIV.

*Mendoza Orator Synodum Tridentum
 revocari postulans.*

Hic idem Cæsaris Legatus obtenta Pontificis venia publice in Purpuratorum Senatu die decima quarta Decembris habito excipiebatur, ubi convocatis Principum Legatis sermone modesto quidem, fervido tamen Synodi Tridentum revocandæ necessitatem, necnon mala, quæ ex cunctatione orirentur, exposuit, subjungens, sibi in mandatis esse datum, ut Bononiensem Synodum non esse legitimam palam profiteretur, si Papa Cæsaris voto satisfacere renueret. Pontifex equidem sæpius Legatum interpellavit, remque non sibi, sed Patribus
 adhuc-

*Pallav l. 10.
 cap. 8. n. 3.*

Sæcul. XVI
A.C. 1547.
adhucdum Tridenti hærentibus esse imputandam dixit, eoquod hi nollent, vel potius prohiberentur Bononiam adire, ut ibidem de continuandæ Synodi loco cum ceteris Patribus deliberarent: nihilominus Papa per virum, quem a secretis habebat, nuntiari jussit, se cum Cardinalibus pro negotii gravitate deliberaturum, & in proximo Patrum Senatu responsa Mendozæ redditurum: Præterea cunctos, qui aderant, eodem tempore admonuit, ne Legati oratio, ejusque postulata in tabulas referrentur, nisi prius Mendoza responsum sibi dandum percepisset, quo dato demum unicuique libere hac super re sententiam suam edicere liceret. Abeunte Legato Cardinales sententiam dicere a Papa rogati, una omnes convenere, causam ad Bononienses Patres esse referendam, eorumque arbitrio committendam, quod etiam Pontifex misso ad Patres diplomate quantocius perfecit.

§. LXXXV.

Patrum sententia per literas a Pontifice rogata.

Pallav. l. 10. c. 8. n. 5. Præfatum igitur diploma die decima sexta Decembris transmissum ad Bononienses Patres die decima octava ejusdem mensis delatum est. In eo summus